



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Facilis Et Succincta S.S. Canonum Doctrina**

**Pirhing, Ehrenreich**

**Dilingæ, 1690**

§. I. An, & quatenus Clericis cum mulieribus cohabitare liceat, vel non?

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61641](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61641)

personæ religioſæ, ludibrii cauſâ, ſub ſiſto ſchemate introducantur (pia tamen ſpectacula in templis exhibere, ad præſepium, aut ſepulchrum Chriſti, &c. non prohibetur) & in c. *Ex literis 16. h. t.* negotiationes ſi exerceant illis illicitas, & prohibitas, de quibus infra, prætermiſſis divinis officiis, ac ter moniti ab Epifcopo ſuonon deſiſtant, amittunt privilegium Clericale, quoad bona patrimonialia, & facultates tales illis competentes, ita ut non minus quam Laici ad omnia onera, & tributa ex hiſce facultatibus ſuis obligentur, quia talia agendo reddunt

ſe indignos privilegio Clericali: & denique juxta c. *Clerici. eodem in 6.* omni privilegio Clericali privantur, ſi joculatores, mimos & hiſtriones, &c. ſe præbeant, ac ignominioſam hanc artem per annum publicè exerceant, vel etiam breviori tempore, poſtquam ter ab Epifcopo, aut ſuperiore ſuo moniti, non reliquerint; eò quòd ſcilicet talia faciendo multùm detrahant dignitati ordinis Clericalis, & ipſo jure ſint infames L. 2. §. *ult. junct. Gloſſ. V. Deſinit. ff. De hiſ qui notant. infam.* Vide plura in *Clement. Diœceſanis 1. h. t.*

T I T V L V S II.

DE COHABITATIONE CLERICORVM,  
ET MULIERVM.

§. I.

*An, & quatenus Clericis cum mulieribus cohabitare liceat, vel non?*

Prohiberi hanc cohabitationem, niſi ob ſanguinis conjunctionem, in primo vel ſecundo gradu nihil ſævi, ſeu inſectuoſi criminis ſuſpicari liceat, ex c. *A nobis 9. h. t.* patet, ita ut illorum cum extraneis junioribus ſceminis cohabitatio prohibita omnino ſit; cum conſanguineis verd in primo & ſecundo gradu permittatur quidem, ſi nulla criminis ſuſpicio ſit, prohibita tamen & ipſa ſit, ſi inter has etiam perſonas, vel pediffequas earum ſuſpicio eſſe poſſit, & hinc magis conſultum videtur dignitati Eccleſiaſticae, ſi perſonæ tales, quamvis conjunctæ ſint, in aliis ædibus ſeparatis

habitent, & alantur, niſi ad œconomiam ducendam neceſſariæ ſint. Videantur & obſerventur hac in re ſtatuta cujuſlibet Diœceſis.

§. II.

*De pœnis, quæ jure Canonico ſunt ſtatuta in Clericos converſantes cum ſceminis ſuſpectis, vel concubinariis.*

Excommunicari jubetur in c. *Si quiſquam 2. h. t.* Clericus in factis conſtitutus, ſi de crimine fornicationis cum ſceminâ ſuſpectus, poſt tertiam admonitionem inveniatur cum ea converſari, & ſceminâ Canonice puniendâ ſtatuitur, & in c. *Sicut 4. h. t.* ſi concubinas ſuas, quas in ſacris ordinibus conſtituti habent, ab Epifcopo moniti, ut eas dimittant, Ggg 2 dimittant.